



B

Q6

EXERCITATIO  
M E D I C A  
TRIGESIMA SEPTIMA.

*In almâ Argentoratensium Aca-  
demia propoſita:*


P R A E S I D E  
MELCHIORE SEBIZIO,  
Doctore ac Professore Medico:  
& Reipubl. Physico constituto:

*Respondente*  
M. JOANNE CASPARO HEPIO.  
Argentinâ - Alsato.



ARGENTORATI,  
*Typis exscribebat Joannes Andrea.*

Anno M. DC. XXVI.





## PROBLEMA I.

**V**r, qui assiduè equitant, libidinosiores evadant? Movet hoc problema Aristoteles sec. 4. problem. 12. & duplex huius salacitatis causa esse videtur: I. quia equitando lumbi, partesq; lumbis vicina incalescunt: unde & materia semenis, & semen ipsum calidius acrisq; evadit: quod libidinis vehementioris causa. II. quia meatus & regula laxiores ampliorēsq; sunt, ut pote calefacti. Caloris enim est dilatare: frigoris contrā constringere. Meatibus autem istis ampliatis, fit, ut facili negotio genitale semen transfere queat. Verūm in oppositum adferri potest autoritas Hippocratis; qui libro de aër. aq. & loc. scribit, Scythas ob juges & assiduas equitationes minus ad Venerē incitari, quam alias gentes. Quid ergo dicendum? Dicendum, nostro iudicio, Aristoteliem loqui de equitatione frequenti: Hippocratem de assidua & indesinenti: neq; hanc solam infecunditatis Scytharum causam statuere: verūm etiam frigiditatem, humiditatē, obesitatem, & imbecillitatem corporis: eām q; partim ex victu: partim ex desidia: partim vero ex frigiditate & humiditate Regionis contraētam. Ait enim, vesci eos carnis coctis: bibere lac equinum: comedere etiam Hippacen, hoc est, caseum equinum. Viros perpetuò vehi in equis: pueris vero, antequam condescendere possint equos, desidem planè & otiosam esse vitam: quod currendo & deambulando sese non soleant exercere: sed in curribus, non secus ac matres, retineantur; duabus de causis: rūm quia in continua sunt peregrinatione, pabuli opportunitatem sequentes. Tamdiu enim inquit Hipp. aliquo in loco subsistunt, quandiu pecoribus sufficiunt.

A 2

cit

cit pabulum: quo deficiente, in aliam regionem commigrant. Tum quia terra semper ferè nive est opera, regiōq; frigore alget. Perpetuam siquidem ipsis hyemem esse Hipp. narrat; a statem autem brevissimam: eāmq; valde remissam: ut proinde necessariō in curribus sint concludendi: quō tenella eorum corpuscula ab injuriis ambientis aēris defendantur. Qui ergo & naturā frigidī sunt, humidi ac infirmi: & jugi indesinētig; equitatione corpus eneruant, multosq; spiritus absunt, iū merito ad conjugalem actum celebrandum ignavi sunt atq; impotentes. Tales cūm sint Scythæ: non alios illos Hipp. λαγυνέον κακίς τε καὶ σύρχοις δεσάτες ἀνθεώπων, ad concubitum maxime ineptos, omniumq; hominum minime ideoneos pronunciat. At qui crebrò quidem equitant: cetera vero sani sunt atq; robusti, eos Aristoteles propter causas allatas recte salaces statuit.

## I I.

Quam ob causam Aristoteles melancholicos pro salacibus & libidinosis habeat? Tales eos esse dicit probl. 31. sed. 4. & Galenus illi subscribit comm. 3. in l. 6. epid. t. 12. Rationem Philosophus hanc adfert, quia sint eutōdēs, flatulenti. Flatus autem tentiginē parinnt: quae postea ad actum connubiale appetitum facit. Sed hīc rursus quæritur, an melancholicis Venus sit proficia? Avicenna videtur ambigere. Nam l. 3. can. fen. 1. tract. 4. c. 19. usum Veneris in melancholiā damnat: quia sicces: cūm melancholici humectatione egeant. Libro verò eodē fen. 20. tr. 1. c. 10. eundem melancholicis commendat: eo quod latitiā inducat, & corpus levet. Quod ipsum quoq; faciunt Oribasius l. 1. synops. c. 6. & Paulus l. 1. c. 35. Imò Aretaeus l. 1. de caus. & not. chron. aff. c. 5. scribit, quendam melancholicum Veneris usu sanatum esse. Respondemus, Venerem nocere melancholicis, qui tales naturā, hoc est, qui temperamento sunt frigido & sicco: quoniam Venus hoc temperamentum auget: quod malum & morti vicinus reliquis. Moderatū verò ejus usum salubre esse ijs, qui melancholici ob adustos & atrabilarios tūm vapores, tūm humores. Adhibitā ergo melancholicorum distinctione, facile apparet tollitur contradictio.

Qui

### III.

Qsī fiat, quod podagrī, & qui hirsuto sunt corporē, libidine vehementius agantur, quam homines alij? Podagrī salaces videntur, quoniam sēpē & diu decumbunt: ex quolungi incalescunt: incalescit etiam semen in vasis lumbaribus contentum, acriūsq; evadit. Tale autem factum, prurit, & animal ad sui excretionem instigat. Est & alia hujus salacitatis causa: serosa nimirūm humiditas: quā podagrī abundant. Hanc enim libidinosos facere homines, testis est Galenus l. 14. us. part. c. 9. Acris quippe est & mordax: ideoq; vasa seminaria ad excretionem irritat. Sunt verò libidinosi hirsuti, quia calidi & siccii: qua complexio calidius mordaciūsq; semen producit: quod homines reddit in Venerem procliviores. Aristot. probl. 32. f. 4. & l. 14. gen. an. c. mihi 5. duplicem causam tradit: seminis ubertatem: & caloris vigorem.

### I V.

Curebriosorum semen ut plurimūm sterile & infœcundum? Tale esse eorum semen experientia testatur: & Galenus l. 11. us. part. c. 10. docet. Causam dat Philosophus probl. 4. sect. 3. quia illorum habitus corporis prahumidus est: fœcundum autem sēmē tenue & aquosum non est: sed omnino crassum: quoniam optimè coctum. Sed cur tenuē semen temulentorum? Nimirūm, quia jugi crapulā & ingluvie nativum calorem obrunt atq; debilitant: ex quo resultant cruditates & humores excrementitij. Malum ergo in ijs semen est: quia malus sanguis. Frigidum semen est: quia calor obrutus & enervatus. Inops spirituum est: quia spiritus bonum sanguinem, tanquam materiam, & calorem vegetum, velut efficientem, ad sui generacionem postulant.

### V,

Vtrum semen veneni induere possit naturam? Affirmativa placet Galeno l. 6. loc. aff. c. 5. si scil. retentum corrumpatur atq; putrefaciat. Gravissima enim inducit symptomata: in mulieribus quidem suffocationes & strangulatus ab utero,

A 3 con-

convulsiones epilepticas, & spasmos. In viris autem arogricis, avaris, ciborum rejectionem per vomitum, capit is totiusq; corporis languorem & gravitatem, melancholiam, &c. Tetros quippe malignosq; halitus ad varias corporis partes de se spargit. Neq; mirum hoc videri debet, cum idem etiam sanguini & lacti, quod secundum Hippocratem & Galenum sanguini ad aer, germanum, accidat. Etenim sanguis extra propria conceptacula in cavitatem aliquam effusus vertitur in grumum, & adeo malignam acquirit qualitatem, ut tanquam venenum extremorū frigiditatem, syncopen, tandem etiam morte corpori inferat: Hinc Galenus l. 6. loc. aff. c. 4. summoperè miratur sanguinē, qui tam omnium eorum, quae in corpore sunt, maximè nobis familiaris est, tantorum malorū causam esse posse. Lac in grumos mutatu veneni excitat symptomata: imo veneni quadam species est. Vnde Paulus l. 5. c. 56. lac coagulatum venenis annumerat: & Aëtius tetr. 4. serm. 1. c. 45. idem facit: cap. v. 75. quomodo medendū īs sit ostendit, qui lac in grumos coactum hanferunt. Ex effectis igitur, & à posteriori constat, semen veneni induere posse naturā. Quod si de causa roges, cur semen, quod corpus est optimè & perfectissimè elaboratū, spiritibusq; multis perfusum, & calore sufficiēti instructum, in substantiam adeò pravā facebat? Respondeamus, causam esse, quia omnis mutatio à contrario in contrariū fit. Quando ergo semen corrumpitur, in contrariam planè naturam mutatur. Cūm autē optimo & natura familiarissime id contrariū sit, quod pessimum & natura maximè inimicū: nil mirum, si semen, corpus optimè coctū, perfectissimèq; elaboratum, & natura acceptissimū, in pessimum corrumpatur.

## V I.

Num semen omnium hominum album sit? Pronegante adferri possunt argumenta duo: I. quia Herodotus scribit, genitū Aethiopum nigrum esse. II. quia Aristoteles l. 1. gen. an. c. 19. testatur, eam quibusdam prodijisse cruentam. Verū Hero-

Herodotūm falsa scribere monet idem Aristoteles l. 3. hist. an.  
c. ult. & l. 2. de generat. an. c. 2. idq; probat sensu & ratione.  
Sensu: quia videmus, semen emitte ab animali, & consequenter  
etiam ab homine, album & crassum, si sit integrū: hoc est, si secun-  
dum naturam se habeat: foris autem refrigeratū, aquescere & se-  
rescere, colorēmq; aqua acquirere: & evadere nigrū, hoc est, ob-  
scurum magis. Ratione: quia non necessum, omnia nigra esse eo-  
rum, quibus cutis est nigra. Patet hoc ex dentibus: qui Aethio-  
pibus albi. Deinde, quia genitura spuma refert. At omnis spu-  
ma alba: & maximè quā ex paucissimis partibus constat: ijs  
tām parvis, ut ampulla cerni nequeant. Cruentum semen quod  
attinet, docet Aristoteles l. 1. gen. an. c. 19. cruentum quidē  
semen aliquibus prodīsse: sed tale fuisse crudum, & incoctum;  
aut per vim emissum, & quidem ab ijs, qui supra modū Venere  
usi. Nos Aristoteli adstipulamur, quantum ad seminis colore.  
Albedinem autē cum Galeno comm. 2. in prognost. text.  
ult. & l. 14. us. part. c. 10. nec non lib. 1. de sem. c. 12. 13.  
& 14. efficienti illius cause ferimus acceptā: nimirūm tunicis  
vasorum & spermaticorū, & substantie corporis varicosi, testiū,  
ac prostatarum glandulorum: in quibus partibus semen altera-  
tur. Omne autem quod à partibus nostris corporis alteratur, ideā  
illarum, hoc est, formam & quandam quasi imaginē refert.

### V I I.

Quā virtute semen perveniat ad testes? De hoc qua-  
sito discrepantes authorum sunt sententiae. Aristoteles l. 2. gen.  
an. c. 4. statuit, semen ad vasa appellere spermatica, neq; ὄση,  
impellente spiritu: quā ratione excrementum alimenti humidi  
siccīq; hoc est, faces & urinam, emitte novimus: neg. ξλέσι, tra-  
etu: quemadmodum aliqui putabant, persuasum habentes, semen  
à testibus, tanquam à cucurbitulis medicinalibus, trahi: sed spon-  
taneo moro, aliorum excrementorū more, ad locum suum ferri.  
Galenus tūm alibi, tūm lib. 1. de sem. c. 16. semen ξλέσι adte-  
stes

7

testes derivari contendit. Quod ipsum etiā facit Fernelius l.  
7. quatuor. c. 2. Ut enim, ait, in liene vis quædam est ad prolectan-  
dū humorem melancholicum comparata; in renibus. alia, que  
urinā alliciat: ita & testibus convenit vim quandā inesse, quā  
seminis materia sibi quidem perquām familiare & idoneam,  
tanquā proprium conjunctūm, alimentum, invitent & attra-  
hant. Cùm autē magna sit & vehemens hæc eorum vis, quæ in  
corpus universum manat, iij nimirū tūm uberiorē materiam,  
quām sibi opus est: tūm verò hanc ex universo corpore elicient &  
evocabunt. Ut ergò jecur ex intestinis succum rapit per venas  
mesenterij: sic testes per seminis vasa materiā sugunt à venā  
cavā: hæc verò ab omnibus circumjectis venis grandioribus:  
hæc à minutis: quæ jam vix capilli magnitudinē adæquant, & que  
singulas partes alunt. Ea enim attractio manet ac persistit, dum  
vasa & testes impleantur. Neḡ enim prius intermittit, quām  
testes copiā turgeant atq; saturantur. Inaniti quippe ex locis ple-  
nioribus veluti eripientes violenter evellunt. Hinc laudat Ari-  
stotelem, quod Polybium falsi insimularit, quil. ταῦτα γοῦν, Hip-  
pocrati ab alijs ascripto, hanc ex toto corpore secretionē in sole  
concebitu fieri censuit, ipsumq; semen, ceu colliquefactū quid-  
dā esse, motu agitationē secretum. Archangelus Piccolho-  
minus l. 3. anat. lect. 4. semen utroq; modo, ὡς scil. & ἐξει ad  
testes venire credit, ὡς quidē omnium totius corporis partiū:  
ἐξει verò testiculorum. Esse enim naturā & in nutritionē, &  
in procreationē, hoc est, conservationem individui & propaga-  
tionē speciei intentam. Ideoq; voluisse, ut non modo pars que-  
libet nutririatur: sed etiam adeo opipare & liberaliter, ut cui-  
libet aliquid superesset, quod vicarium illius esse posset: idq; esse  
semen: nondum quidē perfectum, & absolutum: sed tamen ru-  
de & inchoatum, & partis, à quā decisum, per præviā concoctio-  
nem & alterationem, vim, naturam atq; conditionem redolens.  
Quod cùm quantitatis ratione nutritæ particulæ sit grave,  
quamvis ratione qualitatæ sit benignum & salutare: ab illâ ex-  
pellitur: à testibus autē attrahitur: eo modo, quo hepar sangu-  
nem,

nem, qui sibi superfluit, à se deponit: illum autem partes alia per venas alliciunt. Nos testes seminis materiam ex corpore varicoso: hoc ex vasis spermaticis quatuor: hac ex venis atq; arterijs sibi proximi strahere arbitramur: idq; hoc argumento confirmamus: quoniā hisce partibus præparandi, elaborandi perficiendi q; seminis officiū est demandatū. Necessum igitur est, ut materia ejus attrahant. Qualibet enim pars eam materiā ad se trahit, circa cuius alterationē occupata est. Probat hoc jecur, quod chylum per venas mesaraicas rapit ex intestinis: docet cor, quod sanguinē atticit ex venā cavā, dextro ventriculo insertā: planum faciunt renes: qui serosum sanguinem per venas & arterias emungentes exugunt. Spontè autem materiam seminis ad testes ferri, uti Aristoteles statuisse videtur, vix credibile est. Quae enim sic ad aliquam partem ferantur, cæco quodam impetu feruntur: & non magis ad hanc, quam ad illam partē. At plurimum intererat naturæ, ut materia ad officinā generationis vekeretur: quō speciei fieret propagatio. Ideoq; rationi consonum est, organa generationis materiā seminis attrahere. Fernelij & Piccolomini opinio eā ex parte nobis non probatur, quā docent, vim tractricem testium adeò validam potentēmq; esse, ut in universum corpus sese diffundat, & ex singulis corporis partibus semen inchoatum, partiūmq; naturā imbutum attrahat. Seminis quippe materiā non à toto manare, Exercit. 33. & 34. ostensum fuit.

### VIII.

Quā virtute semen emittatur? Explicimus, quā vi semen tū ad testes, tū in universum ad vas a genitalia perveniat. Explicemus modo, quā facultate illud excernatur, naturaline, an animali, an mistā ex utraq? Loquimur autē de seminis emissione, quae est nūlā qūoīr: non de symptomatice, quā nūlā qūoīr: qualis est in gonorrhœā, virulentā pariter, sive Venereā, & virulentiae gallicæ expertise. Hæc enim longè alias causas

B agno-

agnoscit: & quidem vel seminis acrimoniam: vel vasorum im-  
becillitatem. Est insuper invita & nimia, citra Venerem, citra  
libidinis insomnia, citra colis tentiginem, citra præviam imagi-  
nationem, deniq; citra voluptatis sensum, aut titillationem,  
facta. Causa igitur ejaculationis seminis non merè naturalis  
est: facultas scil. expultrix: nec merè animalis: nimirūm motus  
& frictio genitalium; aut intenta rei Venereæ imaginatio: sed  
partim naturalis, partim animalis, sive voluntaria. Quòd  
naturalis sit, ex eo liquet: quoniam semen excrementum est. At  
omne excrementum, quando vel copiâ naturam gravat: vel qua-  
litate illam stimulat atq; vellicat, à facultate expultrice tan-  
dem excernitur. Vtrāq; autem ratione semen irritare naturam  
in multis solet: & quantitate gravante: & qualitate titillan-  
te atq; pruriente. Quòd animalis sit, inde constat: quia sem-  
per præeunte fit imaginatione, & conjunctam voluptatem ha-  
bet: quæ pertinet ad tactum. Tactus autem ad animalem facul-  
tatem spectat. Verùm queri hîc posset, an ejaculatio spermatis  
magis naturalis sit, an voluntaria magis, sive animalis? Respon-  
demus, videri magis animalem eſe: tribus de causis: I. quia  
nunquam, niſi precedente imaginatione, & vigilantibus, &  
dormientibus nobis perficitur. Imaginationis enim tanta vis  
est, ut non pauci ſolâ imaginatione in coëundi libidinem intentâ  
semen profandant. II. quia magnâ fit cum voluptate. III. quia  
aliquo modo etiam à penis musculis duobus inferioribus, qui ab  
ani sphynctere carni exorti, in urithram implantantur, pro-  
movetur. Hi namq; musculi longi non id tantum muneris ha-  
bent, ut urithram dilatent, quòd sine impedimento ac difficulta-  
te, liberè ac confestim semen excerni posſit: sed etiam ut versus  
ſuum principium retracti, prostatas glandulosos, qui ad penis ra-  
dicem, ſupra sphyncterem vefcae utring, ad vefca cervicem lo-  
cati, comprimant, ſemenq; ex ijs eliciant. In his enim prostatis,  
tanquam in promptuarj, ſemen absolutum atq; perfectum aſſer-  
vatur: quia ſunt corpora ſpongiosa, humidam materiam facile  
admittentia. Membranâ verò cæcis foraminibus per via inve-  
ftita:

stata: ne semen exceptum sponte diffuat: & tamen etiam non prorsus ab exitu arceatur. Cum igitur musculi isti versus principium suum contrahuntur, evadunt breviores: & consequenter crassiores duriorēsq; unde glandulosi prostate cōprimuntur: quibus cōpressis, granulatim quasi semen in ijs delitescens exprimitur: idq; in urithram, qui canalis est seminis & urine excretioni dicatus. Quemadmodum enim argentum vivum corio inclusum exit granulatim, si corium fortiter cōprimatur: ita compressis prostatis hisce granulatim semen effluit, que grana, sive, ut rectius loquamur, guttae, in urithrā miscentur, & evidentem seminis quantitatem constituunt: quod cum prævalidum sit & spiritibus imprægnatum, tandem cum saltu inde exilit. Ceterū quod seminis excretio à musculis juvetur, id inter cetera testatur, quod in epilepsia, convulsis & compressis musculis, prostatarum istorum fiat expressio & involuntaria seminis excretio. Cujus symptomatis etiam Galenus l. 14. us. part. c. 10. & l. 6. de loc. aff. c. 6. meminit. Ibi enim ait, in vehementi epilepsia semen propterea effundi, quod totum corpus convellatur, & una cum eo etiam partes genitales. Hic verò causam in retentricis facultatis resolutionem & impotentiam refert.

## I X.

Quæ causa tantæ in seminis emissione voluptatis? Triclicem esse colligimus ex Galeni l. 14. us. part. c. 9. & l. 1. Aristotelis de gen. an. c. 18. & 20. finalem, instrumentale & materiale. Finalis causa est speciei conservatio. Ut enim species propagaretur, Natura immensam Veneris cupiditatem indidit, & actum connubiale ingenti cum voluptate conjunctum esse voluit. Hanc enim nisi homini implantasset, species sanè humana interrisset. Quis enim, inquit eleganter Andreas Laurentius l. 18. anat. c. 1. & c. 2. quæst. 7. concubitum, rem adeò fædam, sollicitasset & amplexatus fuisset? Quo vultu divinum illud animal, plenum rationis & consilij, Homo, obscenæ mulierum partes, tot sordibus inquinatas, & ea ratione in locum imum, velut

B 2 sen-

sentinam corporis, relegatas, attrictas, atrectasset? Quae fæminam maris  
in amplexum ruisset: cum & non imestrus gestatio laboriosa sit:  
& fætus exclusio diris cruciatibus molesta, sapèq; exitiosa: &  
editi fætus educatio plena sollicitudinis, nisi incredibili volu-  
ptatis œstro percita essent genitalia? Instrumentalis sunt par-  
tes genitales, qua exquisitissimo tactus sensu sunt prædictæ. Facile  
enim titillantur, & titillata mira voluptate afficiuntur. Ma-  
terialis est semen ipsum. Hoc autem quia turget & prurit, idq;  
ratione caloris & spirituum, quibus est imbutum: adhæc con-  
fertim & celeriter excernitur, summam voluptatis dulcedinem  
excitat. Quod ita se habere, declarari potest exemplo senū,  
egrorum, naturā frigidorum, deniq; eorum, qui prodigi sunt  
spermatis. Minorem enim in ejus emissione voluptatem perci-  
piunt: quia sperma illis est calore & spiritibus depauperatum.  
Majorem contrà, qui semen excernunt feruidum, & spirituo-  
sum: idq; celeri motu, & veluti cum aliquo saltu: qui motus par-  
tes genitales quam maximè titillat: ex quâ titillatione nascitur  
voluptas summa. Galenus libro eodem 14. us. part. c. 9. etiā  
aliam in semine causam voluptatis ponit: nimirū serosam hu-  
miditatem, quam dicit esse acrem & mordacem: ac propterea  
partes spermaticas ad excernendum stimulare: leviterq; mordi-  
cando titillare, ac voluptatem parere. Hanc autem serosam hu-  
miditatem semini admistam esse, ex anatome probat: quia vasa  
spermatica lateris dextri ortum ducunt à trunco venæ cavae &  
arteria magnæ: ac propterea purum defæcatumq; sanguinem te-  
stibus advehunt. Vasa vero sinistri lateris, ut idem Galenus lib.  
codem 14. us. part. c. 7 scribit, à vasis emulgentibus prodeunt:  
& hanc ob causam sanguinē serosum iisdem adducunt. Idem Ga-  
lenus ibid. c. 9. alium etiam humor in prostatis, de quibus di-  
ctum, glandulosis agnoscit: spermati quidem similem: sed longè  
tenuiorem: quem & ipsum non paruas habere vires ad exuscita-  
ndam voluptatem in seminis ejaculatione docet. Hunc autem  
Salvus Sclanus comm. in l. 3. μηνος ΙΧV. Gal. t. 17. itidem sero-  
sum esse dicit; nec parvum adferre momentum ad Veneris dul-  
cedi-

cedinem, exemplo mulierū, spadonum, & puerorū, si quando  
excernitur, ostendit. Verūm in hac doctrinā tria videntur  
taxanda. I. quia non ambo vasa spermatica sinistri lateris ab  
emulgentibus proficiscuntur: sed regulariter tantum alteru-  
trū: vena scil. spermatica. Arteria autem à truncō arteria  
magna procedit: non secus atq; in latere dextro. II. quia Galen-  
nus l. 2. de sem. c. ult. negat, prostatas glandulosos organa sper-  
matica esse: rationēm q; hanc adfert; quoniam nihil seminis con-  
tineant: sed tantum humorem quendam tenuem, semini avāoyor:  
qui partim penem humectet, ne, cūm praelongus sit & foris pen-  
dulus, vel exiccatus distorqueatur: vel meatu occluso conniveat:  
partim i&g; illinat, ne urina acrimoniā ladatur. At auctorita  
demonstrat, genitale semen ijs inesse. Testis est oculatissimus &  
exercitatissimus Vesalius, qui l. 5. de corp. hum. fabr. c. 13.  
scribit, se in eo, quem Patavij involuntario seminis fluxu labo-  
rantem dissecuit, corpora hac glandosa, non minus quam testes  
ipso, semine referta conspexisse. Imo si verum fatendum, sub-  
dit idem, inter dissecandum in nullā corporis parte tantam se-  
minis copiā usquam, atq; in corporibus istis, adinveniri. III.  
quia si humor ex corporibus hisce in i&g; effusus voluptatis  
causa esset: quotidiè sanè ejusmodi voluptas in omnibus ma-  
sculis, etiā in ijs, qui semen nondum emittunt, nec etatis ra-  
tione emittere possunt, excitaretur: quoniā in omnibus i&g;  
proluitur. At experientia docet, nunquā nisi in seminis effu-  
sione voluptate oriri. Quapropter concludimus, quatuor  
principiū causas esse voluptatis dictæ. I. Movens, quod sin-  
gulis animalibus libidinis stimulus, & incredibile coēundi de-  
siderium insevit, Naturam: quam Galenus l. 14. us. part. c. 9.  
primā & principalissimam causam vocat: quæ plurima, tūm  
ad excitandam Veneris cupiditatem: tūm percipiendam in  
excretionis actu voluptatem machinata est, quò species hu-  
mana in perpetuum incorrupta maneret. II. Funem, cu-  
jus gratiā voluptas hæc instituta: scil. uti modo di-

B 3 Etum



Etum, speciei conservationem. III. Mobile: ipsum videlicet sperma, quod & calore, & spiritibus, & celeritate motus incredibilē partibus generationi dicatis jucunditatē parit. IV. Instrumenta, per quae sperma movetur, exquisitissimo sensu donata, ut titillationē à turgente & pruriente semine factam eximiē sentirent.

X.

Quæ sit convenientia, quæque differentia inter masculineum & fœmineum semen? Conveniunt primum in materia. Vtrumq; enim materia remotam habet sanguinē: proximam sanguinē tūm venosum, tūm arteriosum, qui vasis spermaticis vicinus. Deinde in formā accidentalī. Vtrumq; namq; est albū, crassum, lentū, spirituosum, calidū, humidum, matrici familiare. Tertio in causā efficiente. Vtrumq; præparatur in vasis spermaticis: elaboratur in corporibus varicosis. perficitur in testibus: defertur ad promptuarī suum per vasa ejaculatoria dicta. Quartò in effectionis. Vtrumq; fæcundū est, & vim habet activā: immodicēq; evacuatū corpus siccāt, tabefacit, debilitat, refrigerat, decolorat, actiones omnes deteriores reddit: uno verbo, senium & mortē accelerat: idq; propter exhaustum sanguinis: dissipationē spirituum: & eductionem caloris nativi. Ex sanguine enim est generatum: spiritibus vero & calore instructū. Contrā modicē & tempestivē excretum, hominē reddit leviorem, alacriorem, & ad obeundas actiones promptiorē: tristitiam ac melancholiā fugat: respirationem facit faciliorē liberorēmq;: ab imaginationibus & insomnijs impudicis liberat. Excrementū quippe est, & quantit. re superfluum: ideoq; naturam, diutius si retineatur, & cumuletur, gravat. Imo tandem corrampitur: præsertim muliebre: quod frigidum & aquosum: corruptūmq; gravia infert symptomata: ut supra ex Galenil. 6. de locis aff. C. 5. ostensum. Quintō in fine. Vtrumq; generationem hominis sibi propositam habet. Nam neq; ex solius

solius fæmina: neq; ex solius maris semine: sed ex utriusq; com-  
misto homo generatur. Differunt autem primum in materiâ  
speciali: quia virile nascitur ex sanguine calidore, siccior &  
spirituoso: fæmineū contrà. Deinde in formâ speciali. Ete-  
nim virile est albius, crassius, spirituosis, calidius, siccus & ro-  
bustius fæmineo. Tertio in effidente speciali: quæ causa po-  
tissimum in testibus latitat. Atqui testes mulierū à virorum,  
& figurâ, & situ, & magnitudine, & substantiâ, & tempera-  
mento, & structurâ differunt: quemadmodū Galenus l. 15. us.  
part. c. 12 & 14. docet. Figurâ: quia non, ut virorū, rotundi sunt:  
sed lati atq; depreſi: externâ superficie inaequali preediti, ac si ex  
pluribus exiguis glandulis essent conflat. Situ: quia lumbo-  
rū musculis insident: nec, ut virorum, extra abdominis cavitatē  
prominent penduli. Magnitudine: quia longè minores. Sub-  
stantiâ: quia molliores. Temperamento: quia frigidiores hu-  
midioresq;. Vnde & semen, quod conficiunt, frigidius & humi-  
dus. Deniq; Structurâ & compositione: quia unâ solū tū-  
nicâ, sive involucro, quod à Galeno l. de dissect. uter c. 9. dicitur  
& appellatur, investiuntur: cùm testes virorū quatuor habeant  
involucra: duo scil. communia: quæ utrumq; teste simul tegunt:  
& totidem propria, quæ quemlibet distinctim involuunt. Pri-  
mū commune ex cuticulâ & cute est formatum: vocatūq; ὄξων,  
scrotum. Alterum ex panniculo carnoso factum, & dicitur  
vaginale: estq; enatum à peritonai processibus. Alterum à Vesalio nomina-  
tur itidem vīpīs, quod teste, qui dīvū & grācē, immediate cingat:  
ab alijs albuginum: proditq; à vasis seminarijs. Quodsi orga-  
na spermatica ad efficientē causam reducenda sunt, ut certè  
sunt, cùm semen praparent, elaborent, perficiant, deferant,  
asseruent, tandemq; excernant: etiā eā ratione fæmineū semen  
à virili differet, quoniā mulieres vesiculis seminarijs, quas He-  
rophilus παρασάται κηρούδαις, varicosos adstites, appellat: corpo-  
ribus glandosis, quæ Galenus παρασάται κηρούδαις nominat: deniq;  
pene destituuntur. Quartò in effectis. Et si enim utrumq; se-  
men

men vim habeat activam: quia utrumq; virtutem habet πλαστ-  
ū, calorē & spiritum: tamen minor vis agendi inest fæmineo,  
quam masculineo: quia frigidius est, humidius, crudius, adeoq;  
debilis atq; imperfectius. Vnde comparativè loquendo fæmi-  
neū dicitur patiens & principium materiale: masculineum agens  
& principium formale, atq; efficiens: fæmineum lactis, argillæ,  
& ligni: masculineum coaguli, figuli, & fabri rationem habere  
perhibetur.

X I.

Quibus notis fœcunditas & infœcunditas seminis  
patesiat? Fœcundum censetur id, quod album, lentum, cali-  
dū & spirituosum. Tale autē esse cognoscitur, si celeriter, &  
veluti cum saltu, cūq; ingenti voluptate egrediatur: si diu-  
tius in vasis manserit: & profectum sit ab ejusmodi homine, qui  
naturā calidus: quiq; sanus, & actiones suas strenuè obit. In-  
fœcundū quod huic contrarium. Aristoteles l. 3. histor. an.  
c. ult. & l. 2. de gener. an. c. 5. fœcunditatē & sterilitatem  
seminis in aquā probat. Quod enim aquæ per summa innata  
diffusum, tenue ac frigidum esse dicit, & propterea infœcundū.  
Quod autē in imum descendit & subsidet, fœcundū. Rationem  
hanc ad fert: quoniam probè concoctum, & proinde calidum.  
Essē autem concoctum, ex eo liquet, quia spissum & crassum.  
Omne siquidem, quod concoctum, crassius fieri lib. 4. me-  
teor. c. 2. docet.

F I N I S.



01 A 6570



RT  
b7A7







# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



26